

## Alte Drucke

**PARAPHRASIS || PSALMI 128. SCRI=||PTA IN HONOREM  
DOCTISSI=||MI VIRI M. BERNHARDI SCHAPER || Ludimagistri  
Halberstatensis, celebrantis || nuptias cum ...**

**Bergen, Matthias**

**Witebergae, 1561**

**VD16 ZV 31065**

PARAPHRASIS PSALMI XC. QVI EST ORatio Mosis, uiri Dei, & continet doctrinam  
de poenitentia, & remiſſione peccatorum in Christo.

---

### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permission, please contact the Head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

**urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149727**

# PARAPHRASIS PSALMI XC. QUI EST ORATIO

Moysi, uiri Dei, & continet doctrinam de  
pœnitentia, & remissione peccatorum  
in Christo.

## ARGUMENTVM.



*S*umma Psalmi, est concio Legis, & Euangelij. Videlicet de pœnitentia et fide in Christum. Prior igitur pars docet agnitione Legis agnosci peccatum, & pœnam peccati esse iram Dei, & calamitates humanas, & mortem. Ideo exaggerat tum magnitudinem iræ diuinæ, tum miseriam uitæ humanæ. Hæc ab initio Psalmi tractantur usq; ad locum, Docce nos numerum dierum nostrorum. Ab hoc loco altera pars Psalmi, habet deprecationem iræ & calamitatum, & petit, ut harum causis è uerbo diuino cognitis, remedia ostendatur pijs, in doctrina Euangelij, de Messia promisso, atq; incarnando. Diserte enim hic uocat misericordiam gratuitam remissionem. Opus dei adpellat missionem Filij, & incarnationem. Gloriam Dei, nominat agnitionem Christi in Ecclesia.

Postremo orat pro conseruatione Ecclesiæ, Reipublicæ, & Oeconomix.

Prop: li.  
cet rei  
imus  
de &  
mortis,  
tamen in  
Deo has  
bitamus.

**E**Sto, licet miseri uicio culpaq; grauamur,  
In miseros asper non potes esse Deus.  
Degeneres, quanquam nos impius abstulit error,  
Ut tua supplicij nos premat ira reos:  
Tu tamen es nostra salus tutissima uitae,  
Tu tamen es miseris portus & aura, Deus.  
Tu tamen es nobis, qui te fidenter adorant  
Non pateris merita morte perire Deus.  
Quotidie iusta licet in nos percitus ira  
Quod reprimas poena uindice semper habes.  
At tamen in te ipso nobis habitacula praebes,  
Qui gerimus Verbo corda renata tuo.  
In te confugium, portumq; salutis habemus,  
Tu facis in te ipso nos habitare Deus.  
Ecce uelut uermes per obliquum repimus orbem,  
Et nisi peccati nil nisi massa sumus.  
Tu tamen hoc aperis, quo comprimis omnia, Numen,  
Excipis & nati nos pietate tui.  
Exceptosq; foues saluantis munere Verbi,  
Quo uiuente dolet mors quoq; iussa mori.  
Nec tuus hic nouus est, quo nos complecteris ardor,  
Nec finem pietas ista parentis habet.  
Ut Deus aeterna uiuens in lumine fulges,  
Sic nos perpetua uiuere luce cupis.  
Namq; nec ad tempus nos tanto munere donas  
Nec finis hoc numeros non habuisse suos,  
Ipse pios seruas, et ab aeuo ducis in aeuum,  
Iustifica faciunt qui tibi uota fide.

Tempore

Tempore ab hoc primi quo te agnouere parentes,  
Tempus ad omne, hominem quo generabit homo.  
Tu Deus es portus, cætusq; uagantis asylum,  
Qui tua non falso pectore uerba colit.  
Ille licet paruo, dispersoq; agmine passim  
Ingenti uarijs erret in orbe locis.  
Attamen est animis semper concordibus idem,  
Consocians regno membra renata tuo.  
Inciensq; tuæ in terris primordia uitæ,  
Erudit afflatu pectora docta tuo.  
Donec hæc rerum steterit Natura, manebit,  
Miliciæ insignis dexteritate suæ.  
Et uentura tuam doctrinam in secula mittet,  
Qua tua in hoc durum est gratia sparsa genus.  
Et læto tandem digressus ad astra triumpho  
Parta sibi Christo principe regna colet.  
Hæc statio immota est in te fidentibus omni  
Tempore, te solida qui didicere fide.  
Nullus ad hanc audet stationem accedere Liuior,  
Siue tuus Sathana, Mors atra siue tuus.  
Hoc est, quod miseri casu lætamur in ipso,  
Quo mortem meriti perdita turba sumus.  
Vnde aliquis nuper tetra formidine mortis  
Territus, hæc æqua dicere mente potest.  
Fraude nocens serpens, & mors æterna Tyrannis,  
Nil mihi uobiscum est, Est mihi uita Deus.  
Vita mihi Deus est, arx, murus, portus, asylum,  
Hic habito, hic tutus tempora pacis ago.

B ij      Hæc

Hæc, sua qui agnoscunt uero delicta pauore,  
 Spemq; tuæ placido corde salutis alunt,  
 Plena fide læta, ceu iubila dicere possunt,  
 Tu quibus es solus uita, salusq; Deus,  
 At quibus impietas peruerso induruit usu,  
 Vt nequeant uicij nosse uenena sui,  
 His tua maiestas nocturnis plena tenebris  
 Visa, metum, et pænæ duriter auget onus.  
 Nam sibi qui metuens nescit sperare salutem,  
 Huic uerè es diræ mortis imago Deus.  
 Namq; quis istorum, qui te non nosse laborant,  
 Ad numen trepido non pauet ore tuum?  
 Ante recens primam quam mundi machina formam  
 Seminaq; è uerbo duceret orta tuo,  
 Ante suo possit quam starent pondere montes,  
 Aeris et tellus, grande ferentis onus,  
 Tu pater omnipotens æterno in Numine numen  
 Tu sine principio es, tu sine fine Deus.  
 Hæc tua maiestas miseros formidine terret,  
 Qui te propitium non didicere Deum.  
 Territa quo fugiet, quas mens petet ægra latebras,  
 Quam peragit mortis conscia culpa ream?  
 Cum uidet, & tantum te magna in imagine cernit,  
 Agnoscit hoc miseri quantus in orbe potes.  
 Sic meritum est nostrum, sic nos tua conterit ira.  
 Crimina dum iusto nostra furore premis.  
 Tam tibi peccatum res est odiosa, nocentes  
 Iusta tua æternum cogat ut ira mori.

Hic inci-  
 pit Legis  
 concio.  
 Exagge-  
 rat autē  
 maiestas  
 tem diui-  
 nam, ut  
 terreat  
 conscien-  
 tias.

Que sit  
 causa  
 mortis et  
 ærumæ  
 narum,  
 uidelicet  
 ira Dei  
 & pecca-  
 tum.

Tu

*Tu facis inuiso miseros occumbere leto,  
Hæc quia nos culpæ premia ferre decet,  
Ante tuos oculos, quoniam sordemus, & omni  
Parte, fluens turpi crimine massa sumus,  
Aeternam trepido quod corde pauescere mortem  
Cogimur, est iræ fulmen id omne tuæ.  
Cum tua iusta odio peccati incanduit ira,  
Humanum cuperes omne perire genus,  
Et posses miserum momento euertere mundum,  
Ni tuus iste hominum te superaret amor.  
Sæpe moues fulmen, sed & hoc tamen ante coherces  
Quam trahat accensam fomite flamma facem.  
Gratia Iustitiæ urgenti sua iura resistit  
Qua tibi per te ipsum turba redempta sumus.  
Ergo nisi instructi præsentis funera uitæ  
Cæperimus uitæ spe superare nouæ,  
Perpetuo æternæ mortis depascimur ictu,  
Continuus sequitur quam sine fine dolor.  
Interea uiuas quæ nescit carpere mentes  
Mors rapit arbitrio corpora strata tuo.  
Tempus abit, fugiuntq; dies, uelocior illis  
Demetit humanum mors uiolenta genus.  
Illa catenatas spargens in secula messes,  
Ordinis atq; æui funera mixta facit.  
Triste simul senium tollit, lætamq; iuuentam,  
Sorte pari functi fœmina uirq; cadunt.  
Cum populo absorbet reges, audacibus æquæ  
Ac timidis, atras inijcit illa manus.*

*B ij*

*Omnes*

Omnes una manet leti uia, uiuimus omnes  
 Simus ut urgenti præda parata neci.  
 Viuimus & morimur, uitã ut moriamur habemus,  
 Hac hominum regitur debile sorte genus.  
 Namq; iubes leto mersos emergere rursus  
 Vt noua uitalis secula lucis agant.  
 Interit hæc hominum, deinde ista renascitur ætas,  
 Dum reuocas Iuris fila priora tui.  
 Sed bene consuluit nostræ tua gratia culpæ,  
 Peccati superans grande prementis onus.  
 Dum quasi sorte iubes homines meliore reuerti,  
 Te potius uitam mitis amare, doces.  
 Namq; tua hæc uox est, iratæ nuncia Legi,  
 Quæ ueluti tonitru pectora tacta quatit.  
 Massa hominum, æterno pridem dignissima letho,  
 Te faciat merito propria culpa mori.  
 Subijciat morti se primus et ultimus ordo,  
 Posteritas subeat posteritatis onus.  
 Hæc uindicta meæ sit formidabilis iræ,  
 Sustinet humanum quam meruisse scelus.  
 Quis te tunc hominum uel totus sustinet orbis,  
 Horrida cum tali fulmina uoce iacis?  
 Et tamen emissi patefactus lumine uerbi,  
 Sic gaudes alto cognitus ore loqui.  
 Lege mea moriens mortale reuertere Semen,  
 Excipiat tempus sæcla priora nouum.  
 Vincit amor pœnam, mortem metuistis, ab illa  
 Seruatis, uerbi uiuite luce mei,

Summa  
 argumen  
 ti.  
 Vox legis

Vox E  
 uangelii.

Corpora

Corpora consumat Ius irrevocabile mortis,  
Excipiat mentes uita beata pias.

Quas Lex iusta reos damnat, misratio seruet,  
Agnoscat ueniam, quam uolo firma fides.

• Hoc caput est, mortem mortalibus incutit agris  
Ira tua, & Legis uis onerosa tuæ.

Morte sed oppressis uitam tua gratia reddit,  
Quam spargit uerbi uox patefacta tui.

Tu simul ad Stygios uitam demergere manes  
Et uitam in media reddere morte potes.

Ira tua occidit, seruat placata uoluntas,  
Quos iræ caussam poenitet esse tuæ.

Hoc est, quod merito miseros demittere letho  
Diceris, & nutu mox reuocare tuo.

Cur tamen heu brevis est cur uitæ fluxilis ætas,  
Quæ propere uenti more uolantis abit?

Dum bene uix uitæ certis absoluihur horis,  
Flebile sub mortis cogimur ire iugum.

Illa sequens etiam uestigia nostra Tyrannis,  
Est propior nostræ, quam solet umbra uitæ.

Atq; hodie moritur, quem lux hesternæ uidebat  
Sperantem uitæ stamina longa suæ.

Te quoniam coram sic anni mille recedunt,  
Ut solet hesternæ lucis abire dies.

Ut nocturna breui custodia tempore transsit,  
Dum recipit uigilem de statione uigil.

Nam uelut excubiæ certas mutantur in horas,  
Tempora dum motu continuata fluunt,

Mutuaq;

Mortifica  
cas & ui  
uificas.

Urget  
concione  
Legis am  
plifica  
tione  
calamita  
tū huma  
narum.

Mutuaq; alternat communes tessera sortes,  
Dum uariant uigiles, hic abit, ille redit,  
Sic alij intereunt, alij nascuntur, & omnes  
Sors eadem simili conditione manet.  
Hos Deus inuadis, subitus ceu littora fluctus,  
Fluminis ut pessum more fluentis eant.  
Præterit ut uolucer non noto tempore somnus,  
Vix bene quem uigilans commemnisse potest,  
Sicut mane uirens, & Sole cadente refectum  
Expirat medio gramen, & aret agros:  
Sic hominis quoq; uita fugit, sic omnia fluxa  
Rebus in humanis mobilitate ruunt.  
Omnis homo similis languenti graminis herbæ,  
Vna dies nasci quam uidet, una mori.  
Quale sub aurora gramen, quod uespere languet  
Talis ab occiduis uiribus, omnis homo.  
Hæc ita contingunt, quoniam nec sustinet iram  
Nostra, nec auertit culpa nephanda tuam.  
Non ita deficiunt reliquarum semina rerum,  
Quæ subeunt, certas nata, renata, uices,  
Illis Naturæ, metam circundedit ordo,  
Nos iræ absorbet iusta rapina tuæ.  
Expirat generosus equus, cum postulat ætas,  
Arbitrio Domini concidit agna sui,  
Mors ea finita est, ut habet cum tempore caussam,  
Nostra, nisi occurras, funera sine carent.  
Quotidie hoc miseri uindictæ absumimur igne  
Dum graue peccati non releuatur onus,

En multis lachrimis uix hoc sentimus, ab illo  
Qui uita est nobis, mors uenit atra Deo,  
Sic uisum est tibi iuste Deus, turbare pauentes  
Ad uicia & sceleris crimina tetra sui,  
Ne torpore graui gemitus oblita precesq;  
Excidat à uenia spesq; fidesq; tua.  
Iccirco obseruas nostri delicta furoris,  
Intuituq; notas crimina nostra tuo.  
Quæ minime possunt nobis delicta uideri,  
Tu uelut in medio lumine nota tenes.  
Hæc tecum est nobis uoluendæ fabula uitæ,  
Sic trahimus lusu tempora nostra tuo.  
Qualia decidos declinant lilia caules,  
Cum nimis intenso languida Sole cadunt:  
Optima quæq; dies sic nostri defluit æui,  
Deficiens iræ scilicet igne tuæ.  
Vita fuga est, abeuntq; dies, & carpitur ætas,  
Vt temere linguæ uerba loquacis eunt.  
Cumq; satur uitæ est, & aniles attigit annos,  
Aut temere, aut aliud, aut nihil egit, homo.  
Ecce omnis spacium miseris mortalibus æui,  
Vix bene bis septem uiuere lustra datur,  
Quiq; diu uixit, bis forsitan octo peregit,  
Optima pars æui plena doloris abit.  
Atq; aliquis primo dum discit uiuere sensu,  
Auolat, & uitæ desinit esse potens.  
Hoc quoq; quod uitæ nobis prodesse putamus,  
Quid nisi res misera est, perpetuusq; labor.  
C Tam

Tam celer angustū decurrit flosculus æui,  
Et subit acta suam quælibet hora necem.  
Vivitur in nugis, hominum pars maxima, nescit  
Quam vitæ hæc abeat portio parua suæ.  
Interea obrepit non intellecta senectus,  
Et celeri irrumpens mors inopina gradu.

Clausula  
huius lo-  
ci de con-  
cione les-  
gis &  
poeniten-  
tiæ.  
Quis Deus hic tantum te tanto in numine numen,  
Suspicit & uera religione timet?  
Mente tuam uigili quis secum ponderat iram,  
Quis timet imperij frena seuera tui?  
Quin aliqui ueluti sociæ uiuentibus umbræ,  
Vivere se tali uix ratione sciunt,

Dum falsis uigilare bonis, dum fingere Cœlum  
In terra, & mortem dissimulare iuuat,  
Dum bona præsentī quæ dantur idonea uitæ,  
Aeternis præfert uana cupido bonis

Altera  
pars Psal-  
mi docēs  
remedia  
iræ more  
tis calas  
mitatum,  
querēda  
esse in  
Messia  
promisso  
& incar-  
nato, id  
enim uo-  
cat opus  
Dei.  
Nec quisquam agnoscit quanta uel mole laboret,  
Vel uenitæ quantam culpa requirat opem.  
In uiciosa pigra putrescunt otia mentes,  
Vita negat uerum luxuriosa Deum.

Hæc mundi est facies mortem ignorantis & iram,  
Pressa quibus pœnam culpa nephanda luit  
a At tu nostra salus, ueræ fons unice uitæ,  
O hominum sapiens conditor, alme Deus.  
In quo Iustitiæ fremitum Clementia uincit,  
Et superat iustas gratia larga minas,  
Respice nos humiles, animumq; ostende paternum,  
Teq; pium nobis esse memento Patrem,

Tu

Tu doceas nostri dum filum ducimus æui,  
In numero fluxos semper habere dies,  
Sanctius ingressi sapienti ut corde feramur,  
Qua ducit Verbi semita recta tui.  
Da nostrum ex ipsa spectemus origine finem,  
Simus & ad nutum turba parata tuum,  
Da sensum ut mortis, da tantæ fulmen ut iræ,  
Percipiant motu pectora nostra tuo.  
Nec tamen exitium metuant, quia perdere nescis,  
Quæ tibi seruari dedita corda uolunt.  
Sed gemitu agnoscant proprii contagia morbi,  
Et caueant iram sponte ciere tuam.  
Semper & emendent uitæ delicta prioris,  
Et cupiant recta sanctius ire uia,  
Et duras uitæ ærumnas, mortemq; minacem,  
Auxilij superent speq; fideq; tui,  
Quotidieq; suæ meditentur funera uitæ,  
Non optanda malis, non fugienda pijs.  
Inq; ipso statuam pacem, portumq; salutis.  
Per quem supplicibus te iuuat esse patrem.  
Agnoscat ueras humilis patientia causas,  
Cur premat humanum fors onerosa genus,  
Innatq; dolens uerè contagia morbi,  
Conuerso medicam pectore quærat opem.  
Tum sincera fides animos pacabit inertes,  
Atq; nouæ uitæ semina sancta dabit.  
Sic tandem obliti sceleris uestigia nostri,  
Viuendi fœlix ingrediemur iter.

C ij

Et

Et legum & morum procedet sanctior ordo,  
Congruet ad nutum uita probata tuum,  
Grata tibi ducet dociles sapientia mentes,  
Quæ renouat uigili corda subacta metu.  
Hoc etenim solum sapere est, agnoscere sortem,  
Atq; humili uerum corde timere Deum.  
Ergo redi pater, & uultum conuerte benignum,  
Quid terret populum mors truculenta tuum?  
Dum tibi sancita cupimus pietate renasci,  
Anne aliquam pietas scit tua ferre moram?  
Siccine damnati seductos fraude Draconis,  
Perpetuo mortis nos sinis esse reos?  
Quo tuus usq; dolor tanta se proferet ira,  
Blanda quid à famulis subtrahis ora tuis?  
Dexter ades miseris, precibusq; allabere nostris,  
Te precibus siquidem corda subacta uocant.  
Mitis ades, uultu nec nos explode scuro,  
Eueniat facies hostibus illa tuis.  
Nos tua progenies, spem non deponimus ullam,  
Conceptam nostri quam genuere patres.  
Nos numerare iuuat transactæ tempora uitæ,  
Nos cupimus recta sanctius ire uia.  
Nos parere tibi, tibi nos seruire parati,  
Mancipium cupimus quilibet esse tuum,  
Esse tibi cupimus dociles, non esse dolemus,  
Hæc cura obsequij digna fauore tuo est.  
Respice nos primi uiciatos labe parentis,  
Illius è uicio noxia massa sumus;

Vtq;

*Vtq; sumus, sic esse pudet, dolet esse malignis  
Semper in hac misera flebile carne malum.  
Funde tuæ radios bonitatis, & adflue nobis,  
Plasmatis allabens largus amore tui,  
Auferat ille omnem cæcis e mentibus umbram,  
Ad tua diuinæ quam bona lucis habet.  
Namq; odisse nequis homines, quos ipse creasti,  
Destructorq; operis non potes esse tui.  
Plena tui & semper clementia larga fauoris,  
Te doceat nobis qui iuuat esse Deum.  
Consule præsentis uitamq; ostende futuram,  
Quæ fluit e ueri fonte beata boni.  
Da postquam meritam dociles agnouimus iram,  
Fleuimus & nostri damna pudenda mali:  
Conuersiq; piam pacata mente quietem,  
Cæpiamus in uenia iam retinere tua:  
Cum nostros numerare dies, & pendere fata  
Cum tibi nouerimus soluere uota, Deus,  
Tum uitæ æternæ certam sperare salutem  
Possimus, lucis conscia corda tuæ.  
Da Deus æternæ domitorem agnoscere mortis,  
Da fontem uitæ posse uidere tuæ.  
Non tantum ad uitæ communem animalibus usum,  
Condidit humanum uox tua larga genus.  
Verum aliud regnū, atq; aliam hæc post funera uitam,  
Ante tuum instituit gratia plena thronum.  
Hanc dabis in solo ueræ allatore salutis,  
Qui Deus est sumpto corpore factus homo.*

*Christus  
incarnan-  
dus.*

*C iij Te*

*Te Deus aspiciens dilecti in imagine nati,  
 Nos etiam nati respice membra tui.  
 Deleat innatos nobis tua gratia morbos,  
 Impleat & uenia nos bonitate tuae.  
 Sic uacui noxa, sic nescia pectora mortis,  
 Munere ducemus gaudia uera tuo,  
 Gaudia non ipso certum cum tempore finem,  
 Gaudia mensuram non habitura suam.  
 Vera etenim gaudent pacata gaudia mentes,  
 Quas tua letantes gratia larga facit.  
 Ergo age redde animum, certa spem redde salutis,  
 Da miseris fato prosperiore frui.  
 Longius adflictis durum cumulantia luctum,  
 Tempora ne cupias esse, fuisse uelis.  
 Iam satis adflicta tulimus mala tristitia uitae,  
 Artifices primi quæ peperere mali.  
 Hei mala quot passi longos defleuimus annos,  
 Ex quo progeniem perdidit Eua parens?  
 Dum nos peccati torquet sub lege Tyrannis,  
 Quam rapidas habuit mors truculenta manus?  
 Pande tuam nobis promisso è munere lucem,  
 Quæ renouet uenia corda parata tuæ.  
 Et pacem donans animis, accendat amorem,  
 Quæq; tibi acceptas nos facit esse fidem.  
 Vox Es Ecce sonans de te uox commiserante per orbem,  
 Angeli. Auribus o dolci Carmine grata uenit,  
 Quod pater immenso nati permotus amore,  
 Sungere adoptiuo nos tibi iure uelis.*

*Illum*

Illum etiam sancto meditati carmine Vates,  
 Præsentem cupidis gentibus esse canunt.  
 Et præsens & promptus adest, tu mitte uolentem,  
 Ut redimat populi pectora capta tui.  
 Nos patefacta tui fidentes gratia nati,  
 Liberet, hoc proprium est quod profiteris, opus,  
 Destruat ille dolos diri fraudemq; Draconis,  
 Ille fuit nostri caussa dolenda mali.  
 Et premat, & fauces mortis constringat auaræ,  
 Ne freta uindicta sæuiat illa tua.  
 Ecce dolet squalens, tua quam profitemur, imago,  
 Quæ propria uicium sordida labe trahit,  
 Hanc renouet uerbum patris omnipotentis imago,  
 Indice quo, nomen tu patefactus habes,  
 Quod caro dignatum fieri, nos conuocat ultro,  
 Colligit & regno membra sacrata tuo.  
 Hoc ueniat præsens, hominemq; Deumq; fateri  
 Gaudeat, humanum restituatq; genus.  
 Sed uenit, & nobis pacatam nunciat iram,  
 Fidereq; in uenia tristia corda iubet.  
 Agnosco te Christe Deus, te amplector adorans,  
 Vnica qui nostræ caussa salutis ades.  
 Illum agite unanimi uenientem agnoscite sensu,  
 Propitium cupitis qui retinere Deum.  
 Ille suo nostras aboleuit sanguine pœnas,  
 Dum cadit irato uictima grata Deo.  
 Reddidit & uitam preciosa morte redemptis,  
 Dum dormitor mortis lætus ad astra redit.

Benefi-  
 cia Chri-  
 sti.

Illic

Illic nos etiam regnum in cæleste reducens,  
Omnipotens eadem cum patre sceptrâ tenet.  
Quin et crebra facit pro nobis uota sacerdos,  
Et nostri placat nunc quoq; amore patrem.  
Grata tibi meritas persoluant pectora laudes,  
Grata tibi res est poenituisse Deus.  
Qui dolet innati contagia sordida morbi,  
Quem legi indocilem poenitet esse tuæ,  
Cum neq; terra illi monstrat, neq; pharmaca coelum,  
Cæca quibus mortis philtrea cauere queat,  
Excipis in Christo fidentem, intusq; renatum  
Iustifica fidei luce nitere facis.  
Me quoq; peruersæ plorantem crimina uitæ,  
In nato ueniam letor habere tuo.  
Sentio & ardenti confisus pectore plaudo,  
Vivere me firma iam tibi Christe fide.  
Ite procul tetri timido de corde dolores,  
Me uetat exitium uiua timere fides.  
Collegit lachrimas, indefessosq; dolores,  
Fidentemq; nequit deseruisse Deus.  
Christus adest, nulla est quæ me uiolentia turbet,  
Ille mihi uita est, ille beata Salus.  
Ipse retro fugiens uiso domitore recedis,  
Dannate, & propria perditæ fraude Draco.  
Languet ad excelsi uictoris territa uultum,  
Iam reprimens tristes mors inimica minas,  
Quam noua depascens florentiq; aucta uigore,  
In Christo absorbet uita beata Deo.

Hæc

Hac æternæ Deus letaris laude, cupisq;  
In Christo miseris omnibus esse pater.  
Non alio gaudes, & delectaris honore,  
Quam tibi quem pacis Filius autor habet,  
Filius, emundans qui nos à sordibus ægros,  
Membra sui frater corporis esse sinit.  
Luceat hæc sanctos iungens tua gloria cætus,  
Agnitio Christi, gloria uera tua est.  
Quam procul Oceano populosus iungitur orbis,  
Te celebrent uerbo corda renata tuo.  
Conuersæ faciant de te præconia gentes,  
Et uiigeat uero nomen honore tuum.  
Hoc tibi quod propriū est, opus agnoscatur, inane est  
Omne quod à nostris uiribus exit opus.  
Transseat ad nostros pietas tibi grata nepotes,  
Teq; pie pura posteritate colat.  
Sis bonus o fœlixq; tuis, uultuq; benigno  
Dedita militiæ respice membra tuæ.  
Nec sine languescat uiui fiducia uerbi,  
Aut fūco species lubrica corda trahat.  
Sed tibi sincerus constanter adhæreat ardor,  
Quem pacata tui gignit amore fides.  
Te placeant nostri tibi fortunante labores,  
Tu rege, quod facimus ductor & actor, opus.  
Si qua manent etiam nostræ contagia culpæ,  
Hæc ueluti donans æra aliena, tege.  
Qui tua dispersus profitetur dogmata, cætus  
Te loca seruatus tuta tegente colat.

D Te

Te metuant fontem, de quo ius manat & æquum,  
 Fas quibus est populis dicere iura suis.  
 Tu pacem & leges, artesq; tuere togatas,  
 Imperij nutu tu rege frena tuo.  
 Tu facito, ut felix uita labor omnis in usu  
 E solida gignat commoda nata fide.  
 Non nos noſter agat per deuia lubricus error,  
 Nec coluber lapsos nos homicida trahat,  
 Tu motus animis, tu promptas suggere uires,  
 Vt ſtudium laudi ſeruiat omne tuæ.

PSALMVVS DAVI.  
 DIS LXV. Te decet Hymnus..

ARGVMENTVM.



Gens Deo gratias prædicat & celebra-  
 rat diuina beneficia, in Ecclesia, in po-  
 litia, et in Oeconomia. 1. Celebrat De-  
 um, quod donato uerbo colligat Eccle-  
 siam, & conseruet uerum cultum, in ue-  
 ra agnitione & fide. Diserte autem describit iusti-  
 ficationem ex fide, cum negat humanis uiribus ullum mor-  
 talium conciliari Deo, sed docet à Deo recipi & assu-  
 mi peccatorem gratuita misericordia. Hanc uocat ad  
 mirandam iustitiam, quæ imputatur agenti pœni-  
 tentiam & credenti in Christum. 2. Celebrat Po-  
 litie constitutionem, ac docet Imperiorum, & Ma-  
 giſtratum

giſtratuū gubernationem regi diuinitus, agitq; gra-  
tias pro conſeruatione pacis, et proſtigatione bellorum.  
3. Amplificat beneficia, quæ ad Oeconomiam, &  
ſuſtentationem uitæ ciuilis pertinent, & laudat proui-  
dentiam DEI, quod miſſime proſpiciat generi huma-  
no, de omnibus, quæ ad uictum & uſum uitæ neceſſaria  
ſunt, eaq; cumulate ac miraculoſe omni tempore ſuppe-  
ditet. Hæc pars Pſalmi ita tractatur figurata oratio-  
ne, ut allegoria recte ad conſeruationem Eccleſiæ ac-  
commodari poſſit. Neq; enim dubium eſt Metaphorice  
dici, fonticulum Dei ſemper abundare aquis, & ueſti-  
gia Dei ſtillare pinguedinem, quod de Eccleſiæ conſer-  
uatione & propagatione Doctrinæ recte intelligitur.

**T**E memorans dulces ſemper meditabitur Hymnos  
Mens mea lætifica pace quieta, Deus.  
Qui pater æternæ dominaris in arce Sionis,  
Et ſeruas regno corda renata tuo.  
Vota tibi reddam gratam teſtanta mentem,  
Pectoris à uera uota proſecta fide.  
Tu quia ſupplicibus facilis, quia ſemper aperta  
Excipiens humiles colligis aure preces.  
Non aliquem excludens audis miſſimus omnes,  
Omne hominum ſaluū tu cupis eſſe genus.  
Me miſerum quanta uiciorum mole grauamur,  
Meſuram ſuperant crimina noſtra ſuam.  
At tu propicius pater es mortalibus ægris,  
Dum miſeris miti parcis amore Deus.

D ij      Hei

Hei male seducti, falsi uertigine cultus,  
Triste diu uitæ traximus huius onus,  
Impia dum nostras blasphemia deterit aures,  
Quam nobis uarij præualuere doli?  
Dum cupimus sancti specie ludente uideri  
Quam nos hac fatua turpiter arte damus?  
Tu tamen huic nostræ leuitati ignosce, precamur,  
Si qua mali nostri est culpa, sit error iners.  
Hei non est hominis, per se sperare salutem,  
Non homini ex meritis uita beata uenit.  
Ille adeo demum solido est ex asse beatus,  
Quem recipis uerbi luce nouante, Deus.  
Ille fide uiuens, fœlicis in agmine cætus,  
Accedet regno pars generosa tuo.  
Et tecum æternum fœlix habitabit in æuum,  
Per templi ingrediens atria sancta tui.  
Sis facilis precibus miserator maxime nostris,  
Miranda miseris qui bonitate faues.  
Hæc tua iustitia est, superans miracula mundi,  
Tu reputas iustum, qui fuit ante reus.  
Sic meruit nostro dignatus sanguine nasci,  
Filius irato uictima grata Deo.  
Quam procul extremum radijs Sol temperat orbem.  
Summaq; longinqui separat ora maris,  
Omnis & humanæ spes & fiducia gentis,  
Iustitiæ posita est in bonitate tuæ.  
Tu populis reges seruas, & regibus urbes,  
Præsidio florent regna beata tuo.

Fonte

Fonte tuo manant sanctarum oracula legum,  
Subdita quæ nexu corda fouente tenent.  
Si qua salutaris iusto moderamine Princeps,  
Iusticiæ & uerbi regnat amore tui,  
Ille tuum est munus, Deus optime, pareat illi,  
Publicus exhibito semper honore fauor.  
Tu populi fremitus compescis inane sonantis,  
Vt fremit undosi mobilis unda maris,  
Et bona sublatis conseruas publica bellis,  
Cuius ut optata tempora pacis agat.  
Vt timeant, qui bella parant, dum signa uerentur,  
Significas uerum te quibus esse Deum.  
Tu quia non alius, doctrinæ lumina seruas,  
Quæ pia perpetuo corda uigore fouet.  
Tu quia, non alius, pacis fœlicia donas  
Tempora, & explodis noxia bella procul.  
Tu quia, non alius, Leges et iura tueris,  
Vt foveant uitæ, uincula firma, decus.  
Siue diem radijs oriens illuminat Eos,  
Siue alio ueniens uestper ab axe redit,  
Omnia uitalis quæ uis exuscitat auræ,  
Tu regis, & lætis uiribus esse facis.  
Tu dociles almo collustras numine terras,  
Aruaq; natiuo læta uigore facis,  
Annus unde redit uictus mortalibus ægris,  
Vnde suos sumptus prodiga uita facit.  
Fœnore multiplici respondent arua colonis,  
Tu quia rem tantam multiplicator agis.

D iij

Semina

Semina quod grarum decies repetita refundit,  
Languida dum Cœlo crescit alente ceres.  
Arcior exaturat populosa quod oppida campus,  
Prouidus arcana tu ratione facis.  
Semper habet bonitas tua quod mitissima spargat,  
Fons tuus optatis semper abundat aquis.  
Fons tuus est uere diuini gratia uerbi,  
Quo fruitur regno redditaturba tuo.  
Hunc alis & seruas, simul ipso ex ubere terræ  
Huic uitæ facilis das alimenta Deus.  
Inde suos priuata trahunt & publica neruos  
Humanumq; fouent commoda sparsa genus.  
Hunc etenim in finem placuit tibi condere terram  
Mirandum uerbi cunctipotentis opus.  
Imbribus humectas illam, uentisq; resoluis,  
Maturas nutu germina cuncta tuo.  
Vnde sua longæ stillant pinguedine ualles,  
Lætæq; in apricis collibus arua uirent.  
Culta soli reddunt opulentas æquora messes,  
Densa nitet campo multicolore ceres.  
Frugiferis addunt campis armenta decorem,  
Balat ad innumeras & tener agnus oues.  
Omnia letari uideas, & dulcibus Hymnis  
Testari autoris munera longa Dei.  
Huic igitur grato dicantur carmina plausu,  
Solus enim est nobis uita salusq; Deus.

FINIS.



